

1908 Graduale Romanum

148*

AD PROCESSIONEM CORPORIS CHRISTI.



Quae te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crimina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos a morte tólleret!

Inférni claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens:
Victor triúmpho nóbili,
Ad dextram Patris résidens.

Ipsa te cogat píetas,
Ut mala nostra súperes
Parcéndo, et voti cómpotes
Nos tuo vultu sátis.

Tu esto nostrum gáudium
Qui es futúrus praémium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper saécula.

Amen.

Secundum usum recentiorem:

Salútis humanae Sator,
Jesu, volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium.

Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subíres innocens,
A morte nos ut tólleret?

Perrúmpis inférnum chaos;
Vinctis caténas détrahis;

Victor triúmpho nóbili
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuique vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.

Tu dux ad astra, et sémita,
Sis meta nostris córdibus,
Sis lacrimárum gáudium,
Sis dulce vitae praémium.

Amen.

Hymnus.

VIII. **A** e-tér- ne Rex al- tís-si-me, Red-ém-ptor et fi-dé-li-
um, Quo mors so-lúta dé-pe-rit, Da-tur tri- úm-phus grá-ti-ae.

Scandens tribúnal dexteræ
Patris, potéstas ómnium
Colláta Jesu coélitus,
Quae non erat humánitus.

Ut trina rerum máchina,
Coeléstium, terréstrium,

Et infernórum cóndita,
Flectat genu jam súbdita.

Tremunt vidéntes Angeli
Versam vicem mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.



AD PROCESSIONEM CORPORIS CHRISTI.

149*

Tu Christe nostrum gáudium
Manens olýmpo praéditum,
Mundi regis qui fábricam,
Mundána vincens gáudia.

Hinc te precántes quaesumus,
Ignósce culpis ómnibus,
Et corda sursum súbleva
Ad te supérna grátia.

Ut cum repén-te coéperis
Clarére nube Júdicis,
Poenas repéllas débitas,
Reddas coronas pérditas.

Glória tibi Dómine,
Qui scandis super sídera,
Cum Patre, et Sancto Spíritu,
In sempitérna saécula. Amen.

Secundum usum recentiorem:

Aetérne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Cui mors perémpta détulit
Summae triúm-phum glóriæ.

Ascéndis orbes síderum
Quo te vocábat coélitus
Colláta, non humánitus
Rerum potéstas ómnium.

Ut trina rerum máchina,
Coeléstium, terréstrium,
Et inferórum cóndita,
Flectat genu jam súbdita.

Tremunt vidéntes Angeli
Versam vicem mortálium:
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gáudium
Manens olýmpo praémium,
Mundi regis qui fábricam,
Mundána vincens gáudia.

Hinc te precántes quaesumus,
Ignósce culpis ómnibus,
Et corda sursum súbleva
Ad te supérna grátia.

Ut cum repén-te coéperis
Clarére nube júdicis,
Poenas repéllas débitas,
Reddas coronas pérditas.

Jesu, tibi sit glória,
Qui victor in coelum redis,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saécula. Amen.

Hymnus. Te Deum laudámus, *ut supra*, 135* *vel* 139*.

Canticum Zachariae.

Benedictus Dóminus Deus
Israel: * quia visitávit, et
fecit redemptiónem plebis suae:
Et eréxit cornu salútis nobis:
* in domo David púeri sui.
Sicut locútus est per os san-
ctórum, * qui a saéculo sunt,
prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris,

* et de manu ómnium qui odé-
runt nos:

Ad faciéndam misericórdiam
cum pátribus nostris: * et me-
morári testaménti sui sancti:
Jusjurándum, quod jurávit ad
Abraham patrem nostrum, *
datúrū se nobis:

Ut sine timóre, de manu ini-

NOW IS NOT the time for weak theology in a hymnal. Nor is it time to bring back off-Broadway, undignified, mawkish tunes from the 1970s. Let's bravely proclaim our Catholic Faith! The **Father Brébeuf Hymnal** is based upon the authentic treasury of Catholic hymnody: *Ad Cenam Agni; Summi Largitor Praemii; Adoro Te Devote; O Esca Viatorum; Te Deum Laudamus; Auctor Beate Saeculi; Audi Benigne Conditor; Ave Maris Stella; Christe Redemptor; Consors Paterni; Corde Natus; Creator Alme Siderum; Ave Vivens Hostia; Mundus Effusus Redemptus; O Gloriosa Femina; O Salutaris Hostia; Surrexit Christus Hodie; Tantum Ergo; Veni Redemptor Gentium; Veni Veni Emmanuel; Vexilla Regis Prodeunt*; and hundreds more! — <https://ccwatershed.org/hymn>